



Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

caput octavum. Maria Regnum init. Dudlaeum una cum filio & Ioanna
Regina capitis supplicio affici jubet, Catholicam religionem restituit.
Matrimonium cum Philippo Hispaniarum Principe tractat, Thomas ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

multe per oppida & agros passim crescente, & multitudine ad Mariam deficiente, allatum esset, Joannes Dudley Northumbriæ Dux conscripto exercitu, & Henrico Grajo Duce Suffolcensi Londini ad res administrandas relicto, turbis obviam ire statuit: sed à militibus desertus, & in triumphum veluti à Maria ductus grato spectaculo eorum quos flagitiis suis multipliciter antea offenderat, oculos & animos pavit, tamquam proditor & læsæ majestatis reus condemnatus & capitis supplicio domum xi. Cal. Septemb. affectus. Et si vero Gallicus Orator Ioannæ reginæ causam quantum poterat, agebat, habita ad xix. Augusti diem coram regni Senatu eam in rem oratione: parum tamen admodum promovebat, præter spem & promissa nihil reportans, Nobilitate ac populo indies tanto numero ad Mariam confluyente, ut minus quam decem dierum spacio triginta armatorum millia secum, habuerit nihilominus vero tanta esset rerum ad victum necessariorum abundantia, ut cerevisiæ cadus uno Regali Hispanico, quatuor vero magni panes sexta Regalis parte vānerint.

Consiliiarii & Optimates qui Londini manserant, animadvertentes magnam Nobilitatis partem Mariæ partibus se adjunxisse, tam Ioannam Grajam quam paullo ante Reginam proclamaverant, quam Henricum Grajum qui ducta Franciscæ nepte Henrici VIII. Regis Suffolciæ Dux erat creatus, & Ioannam procrearat, [a] custodia includunt, Mariam vero honori & regno restitunt, & reginam conclamant. Ioannes vero Dudley Northumbrius his acceptis, se ab omnibus desertum videns, & ipse solita acclamatione publicam læticiam restatus est, Mariamque reginam Cantabrigiæ salutari iussit, decimo postquam Ioannam reginam Londini proclamaverat die sed ut dictum est in triumphum ductus xi. Cal. Septemb. Londini supplicio affectus, de quo iterum cap. sequenti accuratius dicitur. Quis hic insperatam hanc mutationem, & victoriam solius Dei auxilio tam paucis diebus sine prelio parvam, non summo perere admiretur?

MARIA REGNUM INIT. DVDLÆVM VNA
cum filio & Ioanna regina capitis supplicio affici.
jubeat Catholicam religionem restituit. Matrimonium
cum Philippo Hispaniarum Principe tractat.
Thomas Cramerus igni crematur.

CAPUT OCTAVUM.

ARGUMENTVM

- I. Maria regina, arcem Londinensem ingressa, superbium illum à prædecessoribus usurpatum titulum, Supremi Anglicanæ Ecclesiæ capitis, abdicat.
- II. Dudley una cum quatuor liberis ad mortem damnatus, ad Catholicam religionem se convertit.
- III. Catholica religio in Anglia restituitur. De Curia seu Parlamento Anglicano.
- IV. Conditiones matrimonii inter Mariam Angliæ reginam & Philippum Hispaniarum Principem.
- V. Maria regina contra Viatum & alios rebelles exercitum mittit, & captos supplicio afficit. Ioanna Suffolciæ ejusque mariti funesta mors.
- VI. Cramerus præcipuus schismatici & devortii inter Henricum & Catharinam auctor, una cum Ricardo & Latimero Episcopis viris comburitur. alique supra centum hæretici supplicio afficiuntur.

I. **V**T olim eis, qui durante adhuc Mosaica lege, ad sanctam illam Hierosolymorum civitatem, quam Deus sibi præ omnibus tamquam sedem elegerat, sese conferebant, & ut verum Deum adorarent, magnificum illud à Salomone constructum, & ab ipso Deo consecratum templum ingrediebantur, initio quocumque oculos verteret, nihil aliud occurrebat quam victimarum sanguis, cultri, ignis, holocausta, & victimarii, longius vero ad Sancta sanctorum usque progressos suavissimus balsami & incensi thuris odor reficiebat atque oblectabat: sic ego religionem sacrosanctæ Veritatis ædem ingressus, ut hujus Historiæ filium inde deducere, initio nihil aliud deprehendi quam prodiciones, cædes, lanienas, & multiplices miseras; at ulterius nunc gressum nobis proferentibus, longe pulchrior rerum species sese offeret, ac regni multo tranquillioris ac lætioris quod cum Henrici VIII. & Eduardi VI. imperio hætenus à nobis descripto comparatum, velut Sancta sanctorum Anglicani hujus templi dici merito potest. Hic enim templorum superiori tempore everforum instauratas parietinas, altaria rursus erecta, Crucis tropæa unde profligata erant reposita, sacra templis, templa sacris, toti denique Ecclesiæ pristinum nitorem restitutum videbis.

*Ille qui semel ut fossim studia in contraria regnum,
Hæresibus variis que infectum, haud segnis inivit;
Dissidia exstinxit regalis frontis honore
Omnia, & exemplo plerosque ad limina sanctæ*

Mariæ

[a] Hennings General. parte 4 pag. 121.

*Matris retraxit fugitivos, ceptaque rursus
Majorum ritu celebrari sacra sacro.*

Sed pederentim mihi placet progredi, tot animarum in præceps euntium, sed Dei beneficio ad salutis viam reductarum, & ad cælum enitentium millia videre percipienti. Italus quidam vir magnæ experientiæ, qui legationem in Anglia obiit, in Commentariis, qui magno mihi fuerunt usui, testatur, ex omnibus nationibus nullam esse Principi suorum religioni magis obnoxiam, quam Anglicanam. Hoc certum est, inquit, Principis exemplum & auctoritatem, apud Anglos non modo vim magnam habere, sed etiam omnia posse. Religioni quidem tantum tribuunt, ut in ea non unis vicibus mutanda, ad Principis nutum circumagantur: hoc affectioni & officio quo Regi tamquam subditi obstricti sunt, debent existimantes. Proveni illi ut Rex vivit; credunt quod Rex credit; & quecumque imperat faciunt: idque non religionis interna veneratione, sed externo quodam obsequendi studio & cultu. Quid multis! Gratiam Regis pluris faciunt quam Dei. Quis regem Mabumetana aut Judaicæ religioni addictum nacti fuerint, proculdubio eandem sequentur religionem. Unde tanto certior spes est, tandem ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem, à qua semere discesserunt, Principis qui ipsis contigerit exemplo facile redituros; quemadmodum defuncto Eduardo illam post Henrici VIII tempora à se desertam religionem, rursus obvis ulnis ac cupido amplexi sunt. Verum ut ad propositum redeamus, hoc loco diligenter illud considerandum est, quam prope ante à naufragio abfuerit Angliæ regnum, tam cito, Maria rerum potita iis malis, quæ ex hæresi nasci solent, liberatum fuisse. Diversabatur adhuc Maria in ædibus unius ex Secretariis, sex P. M. ab urbe Londinensi distantibus: quod Gallicus Orator ad eam salutandi, & de regno gratulandi causa contendit. Non multo post ab ipso quoque Galliarum Rege allatae sunt litteræ, quibus post gratulationem, pacem & amicitiam se cum regina colere paratum ostendebat. Tandem regina III. Sextilis, Anna Clivenis Henrici VIII. vidua, Elisabetha sorore, & magno Nobilium globo comitibus, cum quatuor circiter equitum millibus Londinensem arce ingressa est, regali quidem corporis ornatu conspicua, sed internis animi tanto fastigio dignis virtutibus longe fulgentior. In hac arce quindecim dies circiter commorata, res regni vehementer perturbatas ordinavit, omniumque salutem quantum fieri potuit, prospexit. Quemadmodum vero in ejusmodi ingressibus Reges ac Prin-

cipes ad restandam liberalitatem suam, aurum & argentum in vulgus spargere solent: sic hæc quoque generosa regina hujus officii minime oblivisci voluit: in quo tamen ut diversam ab aliis, ita longe præstantiorē atque ampliozem liberalitatis suæ exercendæ rationē iniit, non humi nocentem projiciens, sed ad cælum præcipue munificentiam suam dirigens, atque in eo omnē superiorum Regum liberalitatem supergressa. Facto ergo ab Ecclesia initio, Sanctæ Sedi Primatus Ecclesiastici titulum reddidit, atque eum ubicumque à prædecessoribus aut sculptus aut scriptus fuerat, eradi ac tolli iussit. Deinde Episcopus aut ob religionem dejectus, aut in carcerem trusus, honori & dignitati restituit, pulsus hæreticus, qui malo titulo dignitatem eam hætenus usurparant. Iniquissimam etiam superiori tempore contra Polum Cardinalem sententiam rescidit, eumque Roma, quo ille confugerat, revocavit. Gravissimum vestigal ab Eduardo impositum, populo remisit & ne adulterata pecunie permutatione tam misere explerentur subditi curavit. Denique ut perpetua illa regno esset felicitas, Catholicæ religioni in omnibus pristinum splendorem restituit, & Ecclesiæ columnas, quibus Mundi salus innititur, ab hæreticis dejectas, rursus erexit.

Quibus omnibus rebus factum est, ut universum Angliæ regnum brevi mirū in modum reflorerit: & Ecclesia in primis fidelium bene ceptis precantium, votis adjuta, pristinum splendore recuperavit: non aliter quam post longam & triste hyemem verni temporis amabili jucunditate aer, terra, atq; adeo æther ipse permulcentur. Hymni & cantica ubique personabant, omniaq; plausu & publicæ lætitiæ indicibus ac festivitatibus perstrepebant: foli hæretici, cristis, quas contra Deū hætenus erexerant, demissis, probro & ignominia pleni, ac piscibus magis muti, triste inter se intuebantur, nec quid sperarent habebant. Ad Ecclesias & sacra Catholicorum, rejecta novitiorum doctrina, magni fiebant procerum & plebis concursus, omnibus reginæ exemplum sequentibus, & eandem amplectentibus religionem. Nimirum ut aliaz dixi:

*... totus componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis,
Moble mutatur semper cum Principe vulgus.*

Primum vero religionis actum regina esse voluit exsequias, Eduardo regi magna pompa & Catholico ritu celebratas: in quibus sandapila holofertico

nigro contexta, candida cruce nitebat, duodenis è Nobilitate ad sepulchralem lectum continuo vigilantibus. Regina decem dies intra arcem Londinensem, pro more Regum ejus gentis (nemo quippe legitimus rex habetur, qui non dies aliquot ibi pacifice ac tranquille se continuerit) comorata, rebus regni, quantum tamen brevi temporis spacio fieri poterat, ordinatis, & proceribus quibus diffidebat, in potestatem redactis, Richemundam (que arx non procul Londino abest) profecta est, ut de captivorum causis cognosceret, è quibus Dux Norfolkiciæ, Somerseriani Ducis vidua, Vintoniensi & Dunelmensis Episcopi statim custodia fuerunt liberati.

II. Ad xviii. Julii Ioannes Dudlæus Northumbriæ Dux, una cum filiis, uno Northamptoniæ Marchione, altero Varuici Comite, diversi Westmonasterium deducti sunt, ut coram à iudicibus interrogarentur. Visebatur ibi haud procul ab eo loco ubi de reis supplicium sumi solet, tabulatum viri staturam altitudine æquans, exstructum: in cuius angulo septum erat, à reliquo corpore separatum, in quo Iudices, quorum præcipua est in regno potestas, confederant, numero viginti quatuor, præside Duce Norfolkiciæ. Aderant etiam Mariæ reginæ procuratores. Postquam suo quisque loco confedisent, fecialis custodem arcis Londinensis, quem Constabilem appellant, evocavit. & Northumbrii adduci iussit. Qui ubi Norfolkium inimicum suum iudicis throno insidentem conspexit, vehementer animo fuit consternatus. Et sane res videbatur à iustitia quidem & æquitate nihil abhorrens, ludibrii tamen aliquo modo plena, ad puniendum maleficia, inimici manum gladio & iudicis potestate instruere atque armare.

Northumbrius ubi in conspectum Iudicum venit, venerabilem illum cœtum demisse salutavit. Ibi statim Norfolkicus literas fiduciarias quibus à Maria regina de Northumbrii causa cognoscendi potestas ipsi concessa erat, perlegi iuberet. Quibus perlectis, Northumbrium interrogat, Annon Joannam Londinum deduxerit, & reginam proclamari curavit: exercitum insuper quo Mariam urbem atque regni aditu prohiberet, contraxerit atque eduxerit. Respondit ille, Grave sibi ac permolestum esse, non quod ad eum statum, quem omnes vident, redactus sit, sed quod coram infestissimis sibi inimicis, Iudicum loco assidentibus, causam dicere cogatur, immo coram illis ipsis ex quorum decreto omnia egerit, ut qui paullo ante non minus quam ipse quoque censuerint, Mariam non solum regni aditu prohibendam, sed ex Anglia

quoque omnino ejiciendam. Atqui contra jus fasque esse, ut in aliquem iudices sedent, qui tamquam inimici merito sint suspecti. Hos vero quos inter ipsos videat, Marchionem Vincestræ, Arondeli, Penbrochii & Sarisburia Comites, aliosque Barones non modo iudices esse non posse, sed etiam ad causam unam secundum dicendam trahendos esse, ut ex quorum sententia & decreto res omnes ipse administravit. Verba hæc in nonnullorum animos tam alte descenderunt, ut silentio criminis confessionem testari viderentur. At Norfolkicus, Jam, aiebat, non alios accusandi sed reipsum purgandi tempus est. Ibi Northumbrius omnia que fecisset, libere fassus, illud tantum replicabat, se nihil nisi ex Senatus decreto egisse. Qua excusatione non admittitur, tamquam perduellis ad mortem damnatur, lata in eum sententia, ut crati impoſitus, extra urbem ad locum maleficorum supplicii destinatum pertraheretur, ibique laqueo strangulati corpus in quatuor partes dissecraretur. Pronunciata sententia, Northumbrius supplex in genua procidens, reginæ gratiam implorabat, vel ut saltem mitiori pœna afficeretur rogabat: item ut filiis parceretur, & eorum ætatis & innocentie ratio haberetur. Tum Northamptoniæ marchio interrogatus & similiter damnatus fuit, frustra lachrymis & singultibus Iudicum gratiam implorans: ac post eum Varuicensis Comes Northumbrii major natu filius, qui magna animi constantia sententiam mortis accepit. Postridie producti & ad mortem pariter damnati sunt, Andreas Dudlæus Northumbrii frater, ejusque filius Gilfordus, Ioannes Gattus prætorianorum sub Eduardo præfectus, Henricus Gatti frater, ac postremo Thomas Palmerius equestri ordinis vir. Regina interim de damnatorum salute sollicita Episcopum Vintoniensem aliosque Theologos ad Northumbrium & ceteros captivos in carcerem ablegavit, qui ex hoc mundo mox emigraturi viam in cœlum commostrarent. Et ecce tibi rem admirabilem! Vix ceperat loqui Vintoniensis, quum Deus Northumbrii & aliorum animis sanctissimum inspiravit Catholicismam, Lutheri & Zuinglii rejecta atque ejurata doctrina, fidem amplectens, & in vera & Catholica Ecclesia moriendi desiderium. Insignis hæc certe & memoratu dignissima est conversio, ac tanto mirabilior, quanto majori studio hæresis illi antea & schisma foverant. Sed misericors est Deus, cuius auxilium omnibus eum invocantibus nunquam deest, Dominica ante supplicii diem proxima

xima idem Episcopus sacro sanctum Missa officium in carcere, presentibus captiuis iam damnatis, devote admodum celebrauit: quo peracto, Northumbrius coram uniuerso cœtu protestatus est, se ac socios in Catholica Romanæ Ecclesiæ communionem morituros; utque præsentibus eius rei sibi testes esse vellent rogauit. Post hanc contestationem, quæ multis, audientium lachrymas elicuit, iidem, quorum probum iam in gloriam, tristitia in gaudiū, & momentanea miseria in æternam felicitatem mutata fuerat, prostratis corporibus, sacro sanctæ cœnæ viaticum acceperunt. Biduo post XXII. Augusti Northumbrius læto quasi vultu ad supplicium producit, cui magnæ consolationi fuit, quod liberis suis gratiam à regina factam accepisset. Vbi in pegma ascendisset, ad populum orationem habuit, qua inter alia dicebat, *existimare se, eiusmodi mortis genus à Deo ideo sibi impostum ut ad veram Catholicam fidem, à qua antea desuerat, agnitionem perueniret, & Veritati quam viuis negarat, moriens testimonium perhiberet. Quocirca omnes adstantes etiam atque etiam rogatos velle ut conuersionis suæ & reconciliationis cum Ecclesiâ, à qua ambitio eum antea abstraxerat fideles testes esse velint. Monuit etiam, ut nouæ religionis quæ malorum omnium quæ hætenus passissent causa fuerit, concionatores, ut seditionum buccinas regno egerent, si innocentes se coram Deo, & saluam Rempublicam vellent. Germanicæ ob oculos sibi ponerent exemplum, quam Lutheri schisma inextricabili errorum ex se mutuo pullulantium labyrintho inuoluerit. Liberarent ergo animus à damnatis illis sectis & hæresibus, quibus paulatim Atheismo via sterneretur. Nouationis illius auctores optimis Episcopatum & Ecclesiasticorum beneficiorum facultatibus inhabitantes, non tam boni publici quam priuati molumentis studio ductos. Id sed ipso fateri, quod scilicet damnabilem Caluini sectam sequutus sit, eam tantum ob causam, quod eius ope supremam in regno auctoritatem sibi facile acquiraturum se speraret. Iam vero misero experimento edoctum, omnia ista terrena nugæ esse & somnia mera eius & aliorum delictorum veniam se à Deo & regina petere. Hæc aliaque quum dixisset Northumbrius, non sine circumstantium lachrymis, populo iterum monito, ut in maiori religione perseveret, & conuersa ad Nobiles præsentibus oratione. Vos, inquit, iterum atque iterum rogo, ut testes mihi esse velitis, me in Catholica religione extremum vitæ diem clausisse. Recitato deinde 11. Psalmo, signoque crucis super locum in quo procubiturus erat facto, collum trunco imposuit, & à carnificis manu lethalem*

ictum excepit. Eadem pœna secundum eam Ioannes Gattus & Palmerius affecti sunt, quum & ipsi prius hæresin eierassent. Illud notatu dignum est, quod Northumbrius eodem die capitis pœnam subiit, nimirum xx. Augusti, quo pater ipsius & auus ante aliquot annos idem supplicium luerunt. Sed & Gatti patrem eodem quo filius die capite multatum à curiosis obseruatum. Hunc vitæ finem habuit Northumbrius, qui laqueis quos alij recenderat captus, seditionum ac conspirationum contra Mariam reginam postea quoque in carum fomites morte sua non tamen plane extinxit.

III. Circa initium Septembris sacra officia Catholico ritu Londini & in suburbijs celebrari cepta sunt. Obstinatior nonnulli conquerebantur nequaquam hoc Reginæ promissis conuenire nimirum nullius conscientia se vim inferre velle. Edicto enim quo regina subditos ut ad Catholicam Ecclesiæ communionem redirent, inuitabat, verba hæc adscripta erant, *Pro innata sibi bonitate & clementia neminem se ad amplectendos Catholicæ Ecclesiæ ritus coacturam, usque dum communis iustum consensu certius quid ac melius ea de re statutum fuerit: modo interea à conspirationibus & prohibitis conuentibus abstinere. Riche mundæ quam esset regina, Cortinæum Deoniæ Comitem creauit qui eius deinde matrimonio, cuius spes ipsi facta fuerat, frustratus, non parum momenti ad seditionem contra reginam postea exortam attulisse creditus est.*

Pridie Calendas Octobris regina à Turri Westmonasterium redijt, ut in sequenti die more maiorum urbem ingrederetur, & insignia reginæ fumeret. Id magna pompa actum, deducens eam plus 10. ex proceribus, atque inter eos duobus primarijs, qui Normaniæ & Aquitaniæ ducum vice erant, in quibus amplissimis Franciæ prouincijs reges Angliæ jus sibi vindicare postridie Elizabetha sorore & Cluensi Henrici patris olim coniuge, sed mox repudiata magna que illustrium matronarum turba, & exterorum principum oratoribus stipata procedit, & per arcus triumphales in via erectos, continuis acclamationibus excepta transiit, in quibus conficiendi operis fuere quos Florentini & Genuenses adornauerant, cum inscriptionibus, quibus pietatem & iusticiam in Angliâ restitutam Mariæ gratulabantur, ipsa pallio purpureo holoserico amicta, cuius longum ac sinuosum fyra à cubiculorum

riorum principe, & Norfolciji ducis vxore sustinebatur, templum ingressa est, dextra innitens Dunelmensi episcopo, & sinistra Salopienfi Comiti. sequebantur Elisabetha & Cliuensis, tum lxx circiter præcipuæ regni matronæ holofericis pallijs ac vestibus sebellinis pellibus fosis indutæ, coronas in capite gestantes. dein ordine duces, comites, marchiones, & alij regni proceres incedebat, tandem regina in locum editum in templo exstructum perducitur à Vintoniensi & alijs x. episcopis, inde postquam eam diu Vintoniensis populo ostentauit, & veram reginam esse dixit, à circumstantibus quaesivit, *an non illam pro legitima regni hærede agnoscerent?* assentientibus confuso vocum sono omnibus, regina ad altare descendit, ibiq; præstito sollempni regum sacramento ad audiendam sacram concionem se composuit, quæ ab episcopo de obsequio, quod regibus à subditis debetur, habita est: quo facto, exuro pallio ac veste, ante altare prostrata sacro oleo vnctæ est, & postea tribus coronis alia post aliam impositis, vltimam retinuit, tum decantato per symphoniacos BB. Ambrosij & Augustini canonicos suggestum rursus ascendit. diploma mox à Vintoniensi recitatum, quo præteritorum venia omnibus concedebatur, & primo ipse ad obsequiũ sollempni more (id impresso in sinistram malam osculo sic) deferendum ad reginam accessit: quem secuti sunt ordine Norfolcius ducum regni nomine, Vintoniensis marchio pro marchionibus, & Arondelius pro comitibus, tum reliqui Angliæ reguli. postea sacro celebrato regina eodem ordine & pompa qua venerat, in palatium reuerfa est, vbi conuiuium magna lautitia apparatus erat. mensæ asseendere infra eam Elizabetha soror & Cliuensis, & paullo inferius Vintoniensis episcopus, qui rem sacræ petegerat. dum prandetur, vir primarius Demockus nomine, qui hereditario iure honorarius est regum Angliæ miles & pugil, in equo armato aulam, in qua conuiuiũ celebrabatur, ingressus est, & per facialem Mariam se pro vera & legitima regni hærede agnoscere pronuntiari iussit, & *si quis adeo temerarius esset, qui contra dicere auderet, cum eo se duello decernere paratum ostendit. proiectaq; in prouocationis signum humi chirotheca semel atq; iterum mensis per aulam dispositas circumiuit, dein ante reginam conueniens eam salutauit, quæ accepto aureo poculo summa humanitate equitii propinauit, moxque vbi hausit poculum vacuum, ipsi dono dedit, quod ille abiecta scutum hasta manu cepit. & abiens secum abstulit.*

mensis remotis, postquam regina cum Principum oratoribus (ij erant Cæsaris ac Ferdinandi Romanorum, & Maximiliani Boemix regum legari, Io. Michaelius pro Venetorum rep. pro Cosmo Florentinorum duce Ioan. Bapt. Riscolius Cortonesis episcopus) familiaris sermones aliquanto tempore conseruit, in cubiculum se recepit.

Peractis coronationis ceremonijs, proxima cura de marito reginæ deligendo fuit: in quem finem regina ad V. Octobris totius regni comitia (Parlamentum vocant) Londinum indixit, vt ea de re quæ omnium intererat, omnium consilij quod maxime expediens visum esset, decerneretur. Quo vero nonnullorum etiam exteras res scire cupientium satisfaciã curiositati; breuiter quid Parlamentum in Anglia sit explicabo. *Parlamenti nomine plerique Conuentus designantur, vt quod etiam inter Concilia existat.* In Gallia vero Parlamenta appellantur & Curix quæ supremum habent iuris dicundi potestatem, & comitia quibus regio orti sanguine Principes ac primi ac secundi ordinis proceres, ob res arduas & grauissimas deliberandas, ad regem conuocantur. In Anglia Parlamentum dicitur is Conuentus, qui ex tribus regni statibus constat: qui pro vt necessitas requisiuerit, bis aut ter quotannis celebrari solet. Vocantur eò toti regni primores iriã Ecclesiastici quam secularis ordinis, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Equites, ciuitatũ & communitatum Syndici ac delegati. Diuisum est vero Parlamentum in duas partes, quarum vna Superior, altera Inferior Domus siue Curia dicitur. In illa sunt Regi cognati, Principes, Episcopi, Duces, Comites, Marchiones, & ij qui Milordi dicuntur, antiquioris stemmatis prerogatiuam habentes, In hæc sunt Barones, Equites, Nobiles præfecti iuri dicundo, ciuitatum & communitatum Syndici, delegati ac procuratores. Absque huius quidem Parlamenti consilio aut assensu Rex in ijs quæ ad statum regni, ad leges scilicet, pacem aut bellum spectant, nihil potest decernere. Quò vero animaduertiissent Reges, sæpe inde fieri vt quod volunt minime assequantur, operã dederant vt quos vellent ipsi ad hunc conuentum mitterentur. Primo die Rex ipse comitijs interest, & ea de quibus consultandum est proponit. Inde Superior Curia Inferioris sententiam exquirat; ac deinde communibus votis quod maiori parti visum fuerit decernitur: quod tamen decretum à rege demum approbatur, eoque præfente promulgatur. Sed ad rem. Parlamento

mento regni Maria regina, vt de nuptijs suis deli-
beraretur propofuit; & plerifq; affentientib; de-
ceretur, vt Philippus Hifpaniarum Princeps Caroli
V. Imperatoris filius, reginæ maritus adfciscere-
tur. Pafcis dotalibus hæ conditiones funt appo-
ficæ: vt *Philippus omnium vxoris regnorum ac pro-
uinciarum titulos fibi fumat, fociusque in negotiorum
adminiftratione fit, falus tamen atque integritas regni
priuilegijs ac confuetudinibus Vt omnium munerum &
officiorum diftributio penes Reginam fit, eaque nonnifi
Anglis committantur. Ne Angliæ regnum bello quod
inter Carolum V. Imperatorem & Regem Galliarum
tum gerebatur, implicetur. Ne vili exteri ad Reginæ
confilium aut regni Senatam admittantur. Vt ex
Hifpanijs in Angliam quotannis xxx. ſcutatorum
millia inferantur. Vt primus ex hoc matrimonio na-
tus filius Angliæ regnum; alter, ſi natus fuerit, Flan-
dræ Comitatum obtineat iuris vero omnis in Hifpani-
arum regna renunciet, ob Belgij donationem, ut &
illius iuris quod Angliæ reges in Aquitaniam Gallie
provinciam fibi vindicant. Vt Angli Carolo V. Im-
peratori in acquirendo Aquitania Principatu ſup-
petias ferant, iſque deinceps in Anglorum fit poteſta-
te, &c. His iſſem comitijs multa etiam decreta
ad religionem ſpectantia facta funt, & breuis poſt ex-
ſequutioni manulata.*

IV. Carolus V. Imperator accepto de rerum
Anglicarum nuncio, ampliffimam eõ miſit legati-
onem, cuius princeps erat Lamorallus Emondan-
nus Comes, adiunctis ei Carolo Lalanio, & Ioan-
ne Momorantio Currerio, & Nigro, aurei velleris
Equitibus: qui ſequentis anni die xviii. Ianuarij
in Angliam appulerunt. Hi quum Londinum ve-
niſſent, poſt aliquot dies rem conficiunt, & mat-
rimonium inter reges publicari curant. Ad huius
rei famam proceres aliquot fremere ceperunt,
indignati reginam in exteri ſiue alieni ge-
næ Principis manus conueniſſe: ac præcipue
Cortinæ, Deuoniæ Comes, cui regiarum nuptia-
rum ſpes facta fuerat, ea frustratum ſe æger me-
ferebat. Seditioſi vero præcipui duces fuerunt Pe-
trus Carreus, & Thomas Viatus: qui re clam cum
Henrico Suffolcio adhuc in Turri captiuo, ſed qui
exorata vxoris precibus regina, prætextu morbi
ad ædes ſuas ſide data diuerterat, communicata,
negotium differendū eſſe cenſuerant in Philippi
aduentū, ne contra reginā, ſed contra exteri Prin-
cipis dominatum pro patriæ libertate arma ſum-
fiſſe viderentur: ſed Carreus, qui in mora periculū
eſſe exiſtimaret, per Cornubiam occulte militem

cogit, reque citius quam ſperauerat detecta, op-
preſſus, quum perſugium aliud non haberet, in
Galliam tranſijt. Viatus qui videret iam euulgata
ſua conſilia, diuerſa parte in Cantio, regione Gal-
liæ proxima, popululum, ad ſeditionem vocat, quum
diceret, *prauis conſultoribus vſam reginam, exteri nup-
tijijs grauiffimum Angliæ ſeruitium parare, & religio-
ni periculum creare: ad quod propulſandum Lon-
donenſis ciuitas vniuerſa ſecum arma ſumtura ſit.*
Miſſis etiam ad alias provincitas Harpero, Cou-
pello & alijs è Nobilitate, ſimiliter ſeditioſas vo-
ces ſpargi, ac popululum contra reginam arinari
curat. Tam vero gratum erat plerifque libertatis
nomen, tamque odioſa exterarum nuptiarum
mentio, vt breui Viatus ad mille & ducentos
armatos ad ſe pellexerit, cum quibus Ruſſen-
ſem ſciuitatem, à conſcijs quibuſdam admiſſus,
occupauit. Ibi à circummiſſis ſocijs certior fit,
iam ad viii. virorum millia ad campanæ pulſum
arma ſumere parata eſſe. Eodem tempore duarum
navium, quas regina ad vehendos in Hifpaniam
legatos armari curauerat, præfecti ad Viatum
tranſierunt; è quibus tormenta aliufque deſum-
tus apparatus magnofutura vſui Viato videban-
tur.

De his moribus vbi accepit regina, Suffolcium
cum ſubitarijs copijs aduerſus Viatum mittere
deſtinauerat: verum ille conſcientia territus, pe-
riculo præuenterat, & cum ducentis circiter e-
quitibus in Varuicenfem Comitatum ſe contule-
rat, frustra ibi homines ad arma vocare, & Ioan-
næ filia regnum rurfus aſſerere conatus: cuius
honori quanto magis ſtudebat, tanto ei magis ex-
itium maturabat. Miſſus à regina cum equitatu
Huntingtoniæ Comes homo admodum ipſi infe-
ſtus, qui vt perduellem antea iudicatum perſe-
queretur. Dudlæus circumuentus vndique & ab
omnibus deſertus, deſtributa inter ſuos omni
pecunia, in via dum hac illac ſalutis ſuæ in certus
errat, ruſticum naſtus, rogat vt latebras quib; ho-
ſtes ſuos fallere poſſet, ſibi oſtendar, id beneficij
liberaliter ſe remuneraturum pollicitus. Sic qui
paullo ante totius regni poſſeſſionem ſibi ac ſuis
vindicanam ſomniauerat, iam vix latibulum vbi
caput abſconderet inueniebat Annuit ruſticus, &
hominē noctu ad arborem annoſam admodū atq;
cauam duxit, atque in ea ſe occultare iuſit, ſic vt
vilis cortex tanto Principi pro teſto, atq; adeo in-
regro eſſet domicilio. Eò noctu comeans ruſticus,
pultem aliaque villatica eſculenta affererat,
quibus

quibus miser vitam inter summas corporis atque animi angustias sustentabat, dum interea toto regno fugitivus peruestigatur, ac non pauci quibus ea cura demandata erat, eundem locum equis ac pedibus prateruehantur. Mox promulgatur Edictum, quo ei qui Suffolcium captivum reddidit, quo ei qui Suffolcium captivum reddidit, quo ei qui Suffolcium captivum reddidit, magna merces promissa, e contra in eos qui ipsum celassent, atrox pœna constituta erat. Hinc rusticus ille siue metu seu præmij spe corruptus, ad Huntingtonium proficiscitur, & scire se indicat vbi Suffolcius lateret: qui biduum à rustico desertus, fame cogente interea ad rustici casam se contulerat. Adiuncti rustico armati aliquot, quum arborem illam indagine quasi cinxissent, vacuum eam reperiunt: sed alij interim ad rustici casam profecti, miserum ibi captivum faciunt, & Londinum perducunt. Sed ad Viatum redeamus: ad quem opprimendum regina Norfolcium & Haurardum rei maritimæ præfectum, cum valida armatorum manu miserat. Ij de nocte profecti, Grauensindæ, quod est ad Tamesis ripam oppidum, sex milliâribus Rochestria, & triginea circiter Londino distans, aliquamdiu hæserant, dum aliæ copix quoque à regina advenirent. Die xxix. Ianuarij Norfolcius Grauensindæ egressus cum nongentis circiter equitib⁹, ad pontem Toffensem Viatum obviam habuit: vbi à quatuor ducibus, qui vnâ cum militibus suis ad Viatum transfugerant desertus, ægre Grauensindam evasit. Hoc nuncio consternata regina & qui cum ipso erant, matorem alibi tumultum veriti, quum à viribus quibus rebellium conatibus obviam irent, imparati essent, Haltinguæ Comitum vnâ cum feziali ad Viatum & socios miserunt, qui belli ab ipsis suscitari causas sciscitarentur. *Quod si id factum dicant ob matrimonium cum Hispaniarum Principe, præcipit ante eos agere, quum nondum illud consummatum sit. Ponerent igitur arma; tuncq; regine gratiam eis non desuduram. Summisionem hanc reginæ victoriam suam interpretatus Viatus respondit. Non passurum se ut verba sibi dentur. Habere se exemplum vnus è cognatis suis, qui dum blandis Henrici VIII. regis verbis auscultat, captus fecerit iacturam, hæc arma non contra ipsam, sed contra exterorum machinationes pro patriæ libertate & gloria sumpta esse. Se quidem reginæ potestati libenter se permissurum, si vicissim illa Londinensis Arcis custodiam suæ & suorum potestati permittat, usque dum ipsa Principi alicui indignæ nupserit. Postulavit insuper: ut quatuor viros reginæ consilio suo*

eliminaret, & prætorianorum siue satellitum præfecturam sibi crederet. Horum postulatorum impudentia offensa regina, in urbem venit, & convocatis tumultuarie populi comitijs, in Viatum vehementius inuecta, quid illius consilij, quid contra voluntatis suæ sit ostendit de matrimonio nihil se statuisse nisi de procerum consilio, meliorem a tunc partem in virginitate exegisse, neq; nunc adeo nuptiis, quum si modo regni ordines sita expedire iudicent, in eo vitæ genere libenter sit permansura, nam ut sui connubij causa Anglia periclitetur & ferro flammaque omnia misceantur, id sibi futurum longe acerbissimum. Permaneat igitur in fide, & in perfidia sceleratorum hominum viciscenda sibi præstet. Hoc enim ipsorum officij esse, qui se tamquam legitimam patris ac fratris heredem communi consensu reginam saluauerint. Proposita etiam sunt postulatæ Viati ad reginam missa, ac publice recitata, quorum illud, uti diximus, primum fuit, ut in custodiam se regina traderet, & de nuptijs illius, ac consiliarijs vel retinendis vel mutandis ipsi statuere liceret.

Confirmatis hoc modo civium animis, regina quæ ob comitatem & affabilitatem populo, & Nobilitati in primis erat charissima, paullo securius agere cœpit. Interea Cæsaris legati seditionis minuendæ causa, tum etiam ut proprio periculo præverterent nauibus conscensu discedunt. Viato vero paullulum cunctante, mirum est quantopere eorum qui causæ ipsius fauebant animi interea refrixerint sic ut qui antea de redigenda in potestatem regina deliberarant, iam pro eius salute dies noctesque excubandum sibi existimarent. Quare nihil territus Viatus, quum citra sanguinem rem se confecturum speraret, cum copijs suis ad vrbs muros accedit, & in suburbio Austrino, in citeriori Tamesis ripa castra ponit. Sed vbi pontis portam nequaquam aperiri, neque se, ut sperauerat, admitti vidit, ablati à Norfolcio, qui custodiæ vrbs inuigilabat, clauibus, & mutatis præliariorum stationibus, ne tum quidem desperato successu, quamuis de Suffolcij captiuitate iam cognouisset, x. supra Londinum milliâribus, quingentis equitibus qui intercludendo itineri appositi erant, in fugam coniectis, flumen transmittit, & ad Witthallæ (in qua arce tum regina & Consiliarij diuersabantur) portas accedit. Interea reginæ copix appropinquabant, Viatus nihilominus progreditur, & ad eam partem quæ S. Iacobi dicitur expugnato muro, regium Palacium

Palatium præteruectus, ad urbis portas accedit, easque gladij capulo pulsatas, quum minime, ut sperauerat, aperiri vidisset, ad suos frustra recipere se conatus, feciali impunitatem pollicito sese dedit, à regina in carcerem abduci iussus. In creta Pembrucius Comes alia porta egressus cum delectis, à tergo Viarum milites per pratium iacentes nec opinato aggreditur, & absente duce confusos nullo negotio fundit: pugnam regina è palatio per fenestram inspectante, & suorum animos tam præsentia quam voce & signis confirmante. Paucos post dies Viarus læsæ maiestatis, in quatuor partes dissectus pœnas dedit, alijque ex Nobilitate non pauci. Ex alijs captiuis ducenti circiter strangulati sunt, ut eorum exemplo aliorum audacia reprimeretur. Non multo post Suffolcius quoque capite plectitur, quum ante diem quartum fuisset damnatus, quod contra reginam arma sumisset, & Ioannæ filix regnum vindicare conatus esset: & paullo ante, nimirum Anno 1553. prid. Idus Februarij, Ioanna & Gilfordius eius maritus, Ducis Northumbrij filius securi essent percussi: quod spectaculum quum admodum fuerit miserabile, rem ipsam oculis subieciam.

Ioannæ quamvis Maria lubenter peperisset, quod tamen res periculi plena videretur æmulam non paucorum favore subnixam relinquere, reginæ Consilio supplicium de ea, ut criminis lætæ maiestatis rea, sumi placuit. Postremam certe conuictionem qua regina ipsa iterum proclamata fuit, perniciem ei attulisse constat: cui ceteroqui ignosci potuisset, utpote ætate adhuc infirmiori quam quæ vitrici & matris, imperiosæ atque ambitiosæ feminx imperio reluctari posset. Missus ad Ioannam, quæ paullo ante mortis sententiam ad se allatam nihil turbato vultu acceperat, Theologus, quum eam ad Catholicam doctrinam reducere tentaret, illa sibi non tantum temporis esse dixit, ut controuersijs de religione discutiendis vacaret: proinde quod superesset, pijs precibus & supplicibus ad Deum votis melius impendi posse. Erat verò Ioanna Græcæ & Latinx linguæ supra sexus conditionem admodum perita. Quare Theologus reginam adit, & ut supplicium eius triduum differreturrogat, quo de religione melius instrui posset. Quod & facile obtinuit. In creta Gilfordus Dudleus Ioannæ maritus securi percussus: cuius corpus capite truncatum quum illa è superiori arcis loco in proximum sacellum

ad sepulturam ferri vidisset, animi passa deliquit, quasi mortua concidit. Quum deinde paululum ad se redisset, in miseris querelas & lamenta erupit, quibus adstantium pectora effodiebat, sic inter lachrymas & singultus loquuta. *Ab charissimum mihi & exoptatissimum corpus! Siccine muta tua umbra extremum illud & triste Vale dicere mihi negatur? At qui iam iam spiritus hic meus anima tua mille atque mille Vale dicet. Tu quidem alio abiens me præuertisti: at nihil ego hic cunctata, quantum potero felicitatem meam promouebo, & summa contentione ad te properabo. Equidem inibi iam sum ut omnes nostras miseras iam iam sim finitura: tu vero æterna felicitatis gustum iam præcepisti. Morare paulisper, morare o dulcis mea anima. Nesci sine me ad cælum euola. Expecta dum qui eodem infortunio perfuncti sumus, ad eandem felicitatem unâ proficiscamur. Cor meum tuo tam tenaciter conglutinatum est, ut discessus tuus ipsam meam animam à corpore auulsiße secumque abripuisse videatur. Quid ergo restat, nisi ut quum iam abieris, desiderium videndi tui, quo flagro, unâ tecum auferas. Eamus, eamus ad mortem, mille vitæ mihi exoptatiorem, ut qua viam mihi apertura est ad immortalæ vitam. Quid expectatis, o crudeles homines! Cur supplicium meum differitis? Quid de me speratis, iam iam charissimi mihi quod in terris habui pignoris iactura ac morte sepulta? Quid restat porro, quam ut vitam inter suspiria & lachrymas mille mortibus cruciabiliorem exigam? Sed bene est. Expande brachia. Venio, venio ad te, anime mi, æternum tecum victura, &c.*

Ingens hic mæror omnem à Ioanna in melius mutandæ religionis cogitationem excludit: sic ut in ea conuertenda Theologus frustra laborarit. A Turris præfecto, qui sæpius ipsam visitauerat, rogata, ut sibi monumentum aliquod sui relinqueret, libellum poposcit, in eo quæ tres sententias breues Græcæ & Latine (nam utramque linguam apprime callebat) & denique vernacule conceptas descripsit, quibus innocentiam suam testabatur; & quamvis culpam morte dignam non differeretur, tamen ignorantiam suam apud homines saluis legibus errorem eum excusare debuisse contendebat. Mane ex carcere producta pegenia supplicio destinatum nihil turbato vultu ascendit, Theologum manu trahens; quem comiter complexa, *Deus tibi, inquit, omnia abunde tribuat, pro humanitate quam me prosequutus es: quamvis ex mora hac & supplicij dilatione plus fastidij quam ex proxima morte terrore habueris.*

Æneus senserim. Quum deinde à regina veniam petijset, & vicissim carnifici, qui lege in ipsam acturus erat, tribuisset, in genua procidens. *Dei misericordiam implorauit.* Finitis precibus, rursus in querelas & lamenta erupit; mox seipsam solara, quod iam iam maritum suum potiore loco & vitæ conditione visura esset. Tandem puellis pedisequis adiuuantibus, comam ipsa sibi soluit, reiectisque in oculos crinibus, funesto velo obductos, ceruicem gladio ferendam carnifici præbuit. Rogauerat quidem illa, *ut eadem securi qua maritum percuretur:* sed hoc illi negatum. Iniuriam quoque sibi fieri dicebat, quæ quintum iam mensem vterum ferens, ad supplicium raperetur: quod verum fuisse, post mortem eius est deprehensum. Morti eius circumstantes plerique, etiam qui Mariæ causæ ab initio fauebant, illachrymarunt.

VI. Maria regina quum regnum aliquo modo sedatis tumultibus, stabiliuisset, ceterorum captiuorum quoque causam, qui aulicæ maiestatis aut hæreseos rei erant, cognosci iussit. Id negocij datum Stephano Gardinero Vintoniensi Episcopo, qui collegas sibi adsciuerat. Tonstallum, Bonerum, Hetum, Dainum, & Vestonum: à quibus citati & intra triduum sistere se iussi. Nicolaus Ridlæus, qui Eduardo VI. rege Londinensis fuerat Episcopus, Hugo Latimerus Episcopus Vorcestriensis, & Thomas Crammerus Archiepiscopus Cantuariensis, omnesque in Turrim Londinensem inclusi; postea vero Oxonium abducti, ut disputationem de religione cœptam absoluerent. Ridlæi in Theologia non mediocriter versati, magna fuit pertinacia, in qua ad extremum perseverauit. Latimerus paulo erat flexibilior. Tandem in multos dies sine vilo fructu extracta disputatione, Iudices à regina dati in sacra æde Virginis Deiparæ conuenerunt, vbi à Vestono, qui tum Præsidis fungebatur officio, frustra, ut latis à Maria legibus subscriberent sollicitati, tandem excommunicati & degradati sunt. Sequenti de supplicatio siue Processio in eadem Ecclesia celebrata est, pro impetrando diuino auxilio & Ecclesiæ solatio. Vltimo Septembris Ridlæus à Lincolnensi Episcopo frustra iterum tentatus, quum manus dare atque errorem agnoscere nollet, vnà cum Latimero atque pertinaci, capitis damnatus & flammis vstulatus est; ambo multarum blasphemiarum quas contra Deum & religionem effuderant, conuicti, & non minus quam antiqui illi hæretici, à

quibus errores suos mutuati sunt, mortis rei. De Crammero operæ precium videtur vtrē paulo altius repetamus.

Thomas Cramerus patrem habuit cognominem, matrem vero Annam Hatfieldam, è Comitatu Notinghamensi oriundos, in Cantuariensi Archiepiscopatu Gulielmi Varami successor. Hic ille est qui sententiam diuortij contra Catharinam Hentici VIII. coniugem & Mariæ matrem, iniquissimam tulit, & Anglicano schismati primus aperuit fenestram. Flagitiosum hunc apostatam hæretici in Martyrum suorum ponunt numero; quem tamen Angli fide digni scriptores testantur, *Maria Catholicam religionem resistens promississe, in Eduardi VI. regis exsequijs sacrum Missæ officium Catholicorū libenter se celebraturum.* Quam promissionem quum parum ad reginæ impetrandam gratiam valere, apud hæreticos vero odiosam sibi esse intelligeret; publice protestatus est nihil unquam tale sibi in mentem venisse, sparsis passim eam in rem per hæreticorum conuenticula libellis. Quibus ad reginam eiusque Consilium peilatis, Crammerus in carcerem Londini coniectus, & læsæ maiestatis reus peractus, à regina nihilominus in gratiam recipitur. At non multo post hæreseos conuictus, ad ignem damnatur: prius vero Oxonium ducitur, ut Theologorum opera ad Catholicæ Ecclesiæ gremium reduceretur. Ibi à Vestono argumentorum pondere eo adactus, ut quod responderet non haberet, nouos illos Evangelicos, qui in tanto & inuincibili, ut putabant, viro plurimum spei habebant, omnium ludibrio exposuit, hæresin iam tum eiecere paratus, nisi quod nescio quæ mundi impedimenta obitare sibi diceret. *O quam multi hæretici vltro ad Catholicam reuersuri sint Ecclesiam, nisi mundani respectus laqueis in a tenerentur impliciti, ut non facile expedire se possint?* Ad obiectas ab ipso difficultates responsum est à Catholicis, nequaquam tam leuibus causis moueri eum debere quo minus obuiam gratiam amplectatur. Quum enim iam Ecclesia aditum ipsi aperiat, ne dubitaret quis simul omnium Catholicorum corda aperta ipsi futura sint, & ingentem ex eius conuersione (modo vera illa sit) lætitiā perceptura. In ijs quæ ad cœlestia spectant, oculos in terram non esse desigendos. Mundi huius digaitates mera esse offendicula, quibus impingentes, in æternum ruant exitium. His alijsque argumentis labefactus Cranmerus, quum

quam diu secum ipse pugnasset, tandem hæresin eiecere decreuit, solius veritatis, vt quidem aperte protestabatur, vi & studio adductus, veniam modo eorum quæ contra reginam & Consilium commississet, stipulatus. Qua promissa, sequenti formula hæresin eiecit.

Ego Thomas Cramerus tam Lutheri quam Zuinglij, adeoque omnem quæ pura & sancta contraria sit, doctrinam reijcio & damno. Confiteor etiam vnã sanctam Catholicam Ecclesiam, extra quam salus nulla est: cuius supremum caput Romanum agnosco Pontificem, tanquam summum sacerdotem. & Iesu Christi in terris Vicarium. Credo etiam sub panis & vini speciebus in Eucharistia sacramento verum Christi corpus contineri, & diuina virtute panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi mutari ac transubstantiari. Ad sex reliqua Sacramenta quod attinet, idem de illis credo & sentio quod Romana credit & docet Ecclesia. Purgatorium credo locum esse, in quo defunctorum animæ ad tempus expurgantur atque expiantur: eoque recte Ecclesiam pro his orare, & Sanctorum quoque intercessionem implorare. In summa, profiteor me credere omnia quæ Catholica Romana credit & docet Ecclesia, & quod vnquam aliter crediderim ac senserim, ex animo doleo: simulque Deum precor, vt ea quæ contra ipsum & Ecclesiam feci aut docui, elementar mihi condonet. Eos etiam qui meo exemplo aut doctrina seducti sunt, rogo atque oro per sanguinem Iesu Christi, vt ad unitatem Ecclesie quam primum reuertantur, atque ita omne schisma tollatur. Denique quem admodum Ecclesia Iesu Christi eiusque supremo capiti, sic etiam Philippo & Maria Angliæ regibus, eorumque legibus & statutis obedientiam spondeo: Deumque resem appello, hanc confessionem nec placendi hominibus spe, nec displicendi meo, sed proprio motu, ac tam mea ipsius quam aliorum salutis respectu à me factam.

Reuocatio hæc & Confessio Cranmeri typis impressa & diuulgata multorum animos magna affectu lætitia reginæ ioprimis, quæ tamen, licet vehementer deprecantibus Theologis, adduci non potuit, vt sententiam in eum latam reuocaret, vt pote præcipuum schismatis ac hæreseos, quæ dubiam regni coronam ipsi fecerat, auctorem. Scribunt hæretici, miseri Cranmeri res pessime tum habuisse, vt cui neque ad conscientiam, quam vehementer læserat, neque ad gratiam aduersariorum, quibus in omnibus satisfecerat, receptus pateret: apud bonos (hæreticos intelligunt) inconstantia infamia, apud ceteros perijurij probro

laborato. Instante reginæ Consilio vt sententia executioni demandaretur, Colus ad Cranmerum in carcerem mittitur, qui cum in Catholica fide confirmaretur, in omni sermone illud præ se ferentem, postquam Catholicorum cœtui se adiunxerit, in dies plus solatij animo se persentiscere atque haurire. Quum postridie idem reuertisset, iterumque Cranmerum hortaretur, vt in maiorum religione ad extremum vsque spiritum perseueraret, ac quum omnis nostra spes in cœlis reposita sit, mundana omnia nihili duceret: ille quamuis id quod erat aliquo modo suspicaretur, inter spem tamen ac metum dubius, rursus in Catholica religione viuere se & mori velle protestatus est. Quia vero mortis in ipsum lata sententia diutius celari non poterat, ab eodem monetur, vt patienter eam accipere & ad mortem se præparare velit. In sperato hoc nuncio percussus Cranmerus, vbi moriendum sibi vidit, dici vix potest quos tumultus, quas turbas animo exortas senserit, sic secum ipse loquutus.

O me miserum! Quid agam? an ab his qui dum saluti meæ studere se simulant, ruinam meam quarunt, bis in triumphum ducar? An scopus ero illorum rabiei, quæ nihil aliud spectant, quam vt erroribus quibus detentus fui, me extricarem? Vna illi manu vitam mihi offerunt, altera porrigunt mortem. Quomodo ergo vnum & alterum simul amplecti poterō? Non faciam: quin potius me perdam, dummodo illi nullum lucrum ex me habeant. Licet illis promissa fallere iussam & ego, neque patiar vt simul & seruatum me & perditum ab ipsis, gloriari possint. Moriendum est. Atqui morte meã tropæa illa qua in Ecclesia ob meã conuersionem erecturi fuerant, deijciam & prosternam. Hoc modo rursus ijs animum addidero, qui meo exemplo impulsī, collum Ecclesie iugo subdituri erant, quos morte meã ad vindicandam meam iniuriam armabo.

Quum ergo miser ad vomitum redire statuisset, non infelicitatem modo suam, sed & cœlum ac terram detestari cœpit. Quia enim vitæ huius, quam vnice diligebat, spem omnem sibi præcisam videbat, nihil aliud spectabat quam vt anima simul cum corpore perderetur: adeoque magis sibi gloriæ futurum arbitrabatur, si Catholicos conuersionis suæ gloria defraudaret. Vt vero tanto esset paratior, preces ad Deum, & orationem quam ad populum habiturus esset, charta consignauit, & in sinu secum ad supplicium tulit.

Circa nonam pronuntiata à Iudicibus sententia, Cranmerus è carcere ad ædem S. Virginis deducitur; latera eius claudentibus duobus religiosis. Ad fores quum peruenisset, intus hymnus Simeonis, *Nunc dimittis*, &c. decantabatur. Adempto sacerdotali caractere, obsoleta ad ludibrium, sed eiusmodi Angliæ Primæte qualis illærat, vel potius tanto hæreseos patrono digna veste indutus, pectus ascendit. Ibi quum eo ornatu assedisset, & Colus causas cur à regina damnatus esset, exposuisset, Cranmerus turbato vultu, animi desperabundi indice, plorabat & lamentabatur. Ad quem Colus accedens, monuit, ut errores suos coram vniuerso cœtera reuocaret. Ibi Cranmerus de promptas ex sinu preces, quæ Catholicam aliquo modo sapiebant religionem, coram populo recitauit; deinde ad populum orationem habuit, in cuius fine plurima dixit, omnino digna quæ æterna obliuione sepeliantur; protestatus ad extremum, *palinodiam illam suam contra conscientiam, solo vitæ amore factam: atque in eo detestabile à se crimen commissum*. Doctores Catholici videntes miserum ex eo quod vitæ spes adempta ipsi fuerat ad desperationem redactum, in viam eum modis omnibus reducere conabantur: at illè à diabolo iam possessus, omnibus contemptis monitis, horrendas ex impuro suo ore blasphemias contra Deum & Ecclesiam euomere non cessabat. Tandem ad supplicij locum raptus, & postquam vestes ipse exuisset, ligatis manibus, protensa dextra, *Hæc*, inquit, *nefarie peccauit, quæ recantationi meæ & proposita ab aduersarijs doctrina subscripsit*. Prima ergo omnium poenas luet. Sic ergo rogo impositus, eandem dextram in flammam quam potuit longissime protendit; breui ignis violentia toto corpore in cineres redacto. Qui proxime astiterunt, aiunt, inter flammæ cruciatu, horribiles illum vlularu edidisse, ac contra Deum ac Sanctos mille blasphemias euomuisse. Hunc vitæ exitum Cranmerus habuit:

qui vt flagitiose vixerat, ita non minus impie, velut homo desperatus, extremum vitæ diem clausit.

HÆRETICI A MARIA ANGLIÆ regno eijciuntur. Philippus Hispaniarum Princeps in Angliam appellit, nuptiasque cum Maria celebrat. Ecclesiæ reformandæ curam suscipit. Angli ab excommunicatione absoluuntur: totumque regnum Pontifici obedientiam præstat.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

- I. De Prophetissa quadam Zuingliana. Hæretici ex Anglia proscripti.
- II. Sacerdotes debito modo non consecrati, sub Henrico VIII. Missæ sacrificium celebrant. Cardinalis Polus in Angliam ad restaurandam Catholicam religionem mittitur.
- III. Eodem Philippus Hispaniarum Princeps appellit, nuptiasque cum Maria regina celebrat.
- IV. Ab ipsâ Ordinum regni consentus habetur, in quo de Ecclesiæ restauratione actum fuit: & quomodo Legatus Pontificius populum ab Excommunicatione absoluerit.
- V. Quanta prudentia in negotio restauranda Anglicana Ecclesiæ Cardinalis Polus usus sit.
- VI. In Anglia passim obedientia S. Sedis publicè præstatur, tum Coniuratio quadam detegitur.

Quemadmodum Pepusiani olim, Montanus, Marcion, alijque hæretici vaticinatrices suas singuli habuerunt; (a) sic & Zuingliana hæresis in Anglia similis mulierculæ opera ad astruendam sibi fidem vri voluit. Induxerant enim Noui Euangelij Ministri puellam quandam octodecim annos naram, hæresi simul & precio corruptam, in eam improbam simulationem, vt se permitteret in abdito inter duos muros cuiusdam domus angulo ad tempus includi, & per fistulam ad id aptatam eas voces ederet quas istius strophæ artificis suggererent. Nomen puellæ Elisabetha Crosta erat, Londini in suburbio quodam habitans. Ita ergo illa instructa, & in loco ad fraudem accommodato collocata, mirabiles

emit.

a S. Aug. de har. cap. 17. S. Hier. Epist. ad Cresipb.